

348.1 BX1935

S. S2.

V. 3

1892



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

58888

PRÆLECTIONES  
JURIS CANONICI.

LIBER III.

007599

# Decretalium Gregorii IX.

## Liber III.

### TITULUS I.

#### De vita et honestate Clericorum.

1. Duplicem in republica christiana dari statum personarum clericorum nempe et laicorum nequit in dubium revocari. Divina enim institutione factum est, ut cœtus quidam personarum a reliquis fidelibus distingueretur, quæ cum in sortem Domini vocentur, idest ad divina ministeria obeunda deputentur, *clerici* appellantur. Liber tertius, de *Clericis*, eorum statu, obligationibus et juribus præsertim agit, et ejus primus titulus *de vita et honestate clericorum* inscribitur.

2. Clerici in sensu proprio et communi acceptione sunt personæ, quæ specialiter Deo et ejus cultui per ordinem, vel saltem per primam tonsuram mancipantur. Verum in legibus pœnalibus, eo quia materiam odiosam constituunt, in genere sub appellatione clericorum non veniunt Episcopi aliique in superiori dignitate constituti. *Cap. 4. De sententia excomm. in 6º.* Exceptio tamen a Doctoribus fit quoad pœnam excommunicationis latæ sententiæ. Hæc enim omnes etiam superiores clericos et religiosos comprehendit, quemadmodum doctores inferunt ex *cit. cap. 4. De sent. excomm.* Hinc Episcopus etiam subjicitur excommunicationi inflictæ percussoribus Clericorum. *Can. Si quis . . . 29. Caus. 17. q. 4.* Sublata ista exceptione, in reliquis legibus pœnalibus sub appellatione generali *clericorum* non veniunt personæ ecclesiasticæ in superioribus dignitatibus constitutæ. Quamvis enim personæ hujusmodi inter clericos numerentur, tamen speciale, seu proprium nomen habent in jure, quo a communibus et minoribus clericis secernuntur. Optime ergo ex *regula 49. juris in 6º.* *In pœnis*

*benignior interpretatio est facienda*, clerici dignitate majores, qui proprium nomen habent, non comprehenduntur in legibus pœnalibus, in quibus mentio de clericis simpliciter efficitur. Conf. *Fagnanus ad cap.: Sedes 15. De Rescr. n. 12.*

3. In favorabilibus autem nomen *clerici* in ampla significatione accipitur, comprehenditque tum minores, tum superiores clericos, tum etiam religiosos. Quare privilegia status clericalis hisce omnibus competunt. Quod de privilegiis dicitur, dicatur etiam de honestate vitæ, idest de obligationibus status clericalis. Cum enim sermo est de hujusmodi obligationibus, vox *clericus* sensu lato accipitur. Congruum enim est, ut ii omnes qui privilegiis clericalibus fruuntur, clericalibus etiam obligationibus subjiciantur, quæ ad tuendum honorem status clericalis ab Ecclesia constitutæ sunt. Quare cum titulus, de quo agimus, status clericalis obligationes exhibeat, clerici in sensu tituli sunt ii omnes, qui per aliquem ordinem, vel saltem per primam tonsuram divino cultui mancipantur.

4. Immo cum aliis etiam modis ab Ecclesia receptis fideles statum ecclesiasticum ingrediantur, et divino servitio publice consecrentur; alii etiam præter proprie dictos clericos, privilegiis clericalibus fruuntur, et obligationibus clericalibus subjacent. Nomine ergo clericorum in sensu tituli præsentis veniunt etiam regulares omnes, sive professi, sive tirones qui habitum religiosum susceperunt, immo et moniales, dummodo hi omnes ad Religionem pertineant, quæ fuerit ab Ecclesia recepta.

5. Quæstio fit de Eremitis, utrum ad statum clericalem pertineant vel non. Dicendum est, inter Clericos recensendos esse Eremitas illos, qui de manu Episcopi habitum eremiticum suscipiunt, et ab eodem destinantur servitio alicujus Ecclesiæ vel Oratorii, ut in eodem sub Ordinarii dependentia vivant. Per hoc enim haberi possunt ceu totidem ecclesiasticæ personæ. Ita DD. post gloss. in *can. Qui vere c. 16. q. 1. v. vere.*

6. Hisce explicatis, exponendum est quid veniat sub appellatione honestatis vitæ clericorum. Quamvis fideles omnes ad honestam vitam servandam teneantur, tamen clerici qui in sortem Domini vocantur, sanctioris vitæ obligatione tenentur. De qua sanctitate *Trid. sess. 22. c. 1. de Ref.* docet, vitam clericorum ita esse conformandam, *ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ-*

*se ferant, levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.*

7. Renovat inde S. Synodus sanctiones omnes sacrorum canonum, quæ de honestate vitæ clericorum latæ fuerunt; et dum Episcopis inculcat vigilantiam ut observentur, non obstante quacumque consuetudine, statuit, Episcoporum decreta circa correctionem clericorum, appellatione interposita, non suspendi. (*Conf. Sess. 14. in Proem. et sess. 23. c. 5. De Ref.*)

8. Hæc in genere dicta sint, sed ut tituli materiam intimius ingrediamur, honestatem in internam et externam dividimus. Interior honestas consistit in munditia cordis, in exercitio virtutum moralium quæ monasticæ appellari solent, et in recta intentione quoad susceptionem status clericalis, et exercitium officii proprii. Hæc honestas pertinet ad vitam privatam seu interiorem clerici, et ad perfectionem spiritus. Quare honestas hujusmodi proprie et directe non est objectum legum ecclesiasticarum; sed de illa agit Theologia moralis. Hinc canones pauca quidem tradunt de hac honestate clericorum. (*Conf. c. 35. § Ceterum. De Elect. et Electi pot. in 6º. et Sess. 23. cap. 4. de Ref. in Trid.*)

9. Exterior honestas, qua decorari debent clerici, quatuor præcipue capita complectitur. Clericus scilicet debet esse 1º. diligens in executione proprii officii; 2º. morum gravitate, seu vitæ probitate ornatus; 3º. decenti habitu indutus; 4º. a nonnullis artibus et officiis alienus.

10. Quoad 1<sup>um</sup> res clara est, et explicite traditur in *c. 15. h. t.* et ratio est; quia clericus publice deputatur ad ministerium sacrum, et ejus officium bonum societatis fidelium attingit. Vocationi ergo suæ non satisfaceret clericus, nisi diligenter ministerio fungeretur. Quisque vero clericus pro qualitate sui ordinis et specialis positionis in Ecclesia tenetur officium suum adimplere. De specialibus positionibus et officiis clericorum sermo est in propriis titulis. Huc faciunt canones *29. et 30. De Consecr. Distinct. 2ª. et c. 1. h. t.* in quibus locis decernitur, sacra officia a clericis honorifice exercenda esse, et clericorum inservientium sacris ministeriis proprium et distinctum honorem apparere debere. Quare laicis et fœminis, ibidem, interdicitur, ne tempore divinorum officiorum, sacrarium seu presbyterium ingrediantur, et ad altare accedant. Quam prohibitionem renovavit Benedictus XIII. sub pœna interdicti in Conc. Romano ann. 1725. *Tit. XXVIII. De Immunitate cap. 4.*

11. Honestas clericorum externa consistit 2<sup>o</sup>. loco in gravitate morum et probitate vitæ. Ratione hujus honestatis tenentur clerici ad plura. Scilicet debent 1<sup>o</sup>. caste et caute vivere, 2<sup>o</sup>. abstinere a crapula et ebrietate, 3<sup>o</sup>. avaritiam fugere. Hac in re adest *c. 13. h. t.* in quo præcipitur ut omnes clerici studeant caste vivere, præsertim vero clerici in sacris ordinibus constituti; cui legi ni pareant, per Judicem ecclesiasticum pro qualitate culpæ puniantur. Quo in capite illud *præsertim* explicat diversitatem culpæ clericorum minorum et majorum. Nam clerici minores delinquentes peccant solummodo contra virtutem castitatis; clerici vero majores peccant simul contra virtutem religionis, cui proprium corpus consecrarunt in susceptione ordinis sacri.

12. Porro lex castitatis clericorum non solum excludit peccatum formale contra eandem virtutem, sed etiam eis interdicit ea quæ suspicionem incontinentiæ secumferunt. Est enim lex pro clericis, ut caste simul et caute vivant. Hinc evitare tenentur habitationem cum suspectis mulieribus; de qua *in tit. seq.* Tenentur etiam evitare frequens colloquium cum monialibus, nisi rationabilis et manifesta causa accedat. De hac re loquitur *c. 8. h. t.* Consonat huic capiti *cap. un. in principio De statu Regular. in 6<sup>o</sup>.* quod caput in observantiam revocavit Conc. Trid. *sess. 25. c. 5. De Regul. et monialib.* Ex hisce capitibus juris eruitur, inhiberi laicis simul et clericis tum ingressum in monasteria monialium, tum accessum et colloquium frequens cum iisdem, et Episcopum esse custodem et vindicem tum clausuræ tum frequentis accessus et colloquii cum iisdem monialibus. De clausura monialium inferius sermo erit.

13. Nunc aliquid dicendum est de frequenti accessu et colloquio clericorum cum monialibus absque violatione legis clausuræ. In *cit. cap. 8.* Clerici præsumentes sine manifesta et rationabili causa frequentare monasteria mulierum, arcentur ab Episcopo, et si non destiterint, officio ecclesiastico privandi esse dicuntur. Cui Decretali inhærens S. Congregatio Concilii in pluribus causis, relatis a Giralde *comm. in cap. 8. h. t.*, resolvit posse Episcopum infligere censuras, aliasque pœnas contra clericos et laicos frequentantes monasteria monialium, ac cum illis colloquentes. Excipiuntur tamen parentes, fratres et sorores monialium, qui possunt sine licentia Episcopi colloqui cum filiabus et sororibus monialibus diebus non prohibitis, qui scilicet non sint dies adventus et quadra-

gesimæ. Porro lex quæ feratur ab Episcopo contra frequentem accessum et colloquium cum monialibus, obligat etiam Episcopos alienæ Dioceseos, Vice-Legatos, et actuales locorum Governatores, ceu patet ex epistola Encyclica Benedicti XIV. quæ incipit '*Gravissimo*' data die *31. Octobris 1749.* Cum vero contra aliquas ex istis personis, si legem episcopalem infringant, utpote non subditas, censuræ episcopales non exerant suam vim; hinc statuit Benedictus, invocandam esse ab Episcopo hoc in casu auctoritatem Sedis Apostolicæ, proposito recursum vel directe ad Romanum Pontificem, vel ad S. Congreg. Episcoporum et Regularium.

14. Si quæretur quandonam dici possit frequens accessus et colloquium, *Gloss. in cit. c. 8.*, etiam duabus vicibus constitui posse docet frequentiam. Verum hac in re nisi lex episcopalis in concreto determinaverit numerum accessuum et colloquiorum ad pœnam incurrendam, frequentia determinabitur prudenti arbitrio judicis. Hæc de clericis sæcularibus.

15. Regularibus vero accessus et collocutio cum monialibus etiam sine frequentia interdicitur in decreto Congreg. Episcoporum et Regul. approbato a Sixto V. nonis Maji 1590, et ab Urbano VIII. 12. kal. Decemb. 1623. Tandem in Decreto Congr. Concilii approbato a Clem. IX. die 11. Maji 1669, statuitur, Regulares quoscumque absque legitima facultate accedentes ad colloquendum etiam per quodcumque modicum tempus cum monialibus, aut aliis in clausura degentibus peccare mortaliter, et simul posse coerceri ab Ordinario tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, sub pœna excommunicationis, privationis vocis activæ et passivæ, et aliis pœnis statutis contra regulares accedentes sine licentia ad monasteria Monialium. Ab hac vero excommunicationis pœna regulares non possunt absolvi a Superiore suo regulari, licet eam contraxerint ob accessum et colloquium cum monialibus proprii ordinis. Idem dicendum de monialibus colloquentibus, si Episcopus in lege prohibente etiam contra ipsas moniales pœnam excommunicationis comminatus fuerit. Utraque hæc postrema conclusio patet ex resolutione S. Congr. Conc. in causa *Viterbiensi* diei 26. Junii 1627. Quamvis ex decreto Urbani VIII. licentia Episcopi pro Regularibus ad colloquendum cum monialibus subscribenda esset etiam a proprio Superiore regulari, tamen ex resolutione S. Congr. Conc. in causa *Spoletana*, *Accessus diei 26. Nov. 1672*, inferunt Doctores, sufficere solam facultatem concessam ab Episcopo.

16. Porro lex quæ prohibet sive frequens colloquium clericis sæcularibus, sive quodcumque alloquium Regularibus cum Monialibus, non afficit confessarium sive ordinarium sive extraordinarium, dum actu munere confessionum excipiendarum funguntur, sive visitatorem monasterii, sive alium qui ratione officii sui in monasterio cum Abbatissa, vel cum alia moniali loqui et negotia pertractare debet. Quod vero pertinet ad confessarios extraordinarios monialium præ oculis habenda est Const. Benedicti XIV. *Pastoralis curæ* edita nonis Augusti 1748. In ea Const. postquam Summus Pontifex Episcopis et aliis Prælatibus inculcaverit observantiam legis Tridentinæ *sess. 25. cap. 10 de Regul.* circa deputationem Confessarii extraordinarii in monasteriis Monialium bis aut ter singulis annis faciendam, prope finem § *Ac demum* hæc decernit: 'Quibuscumque Confessariis extraordinariis, qui vel alicui communitati generaliter, vel peculiariter alicui personæ in monasterio degenti concessi ac deputati fuerint, districte inhibemus sub pœnis adversus accedentes ad monasteria Monialium, et cum ipsis conversantes, præsertim regulares, a prædecessoribus nostris quodcumque statutis (quas etiam præsentium vigore confirmamus et innovamus), ne, postquam suum officium impleverint, ad idem monasterium ulterius accedere, aut ullius generis commercium intra ipsum quomodocumque continuare et fovere, etiam sub spiritualis causæ, aut necessitatis obtentu et colore audeant aut præsumant'.

Ad intelligentiam hujus dispositionis referre placet oraculum ejusdem Pontificis prolatum mense *Januario 1749*, quod excerptum ex *Lib. Regular.* illius anni S. Congregat. Episcoporum et Regularium nobis exhibet Lucidi *De Visitat. Sacror. Limin. Vel. 2. § V. n. 163.* hisce verbis expressum: 'Confessarium extraordinarium regularem, finito suæ deputationis munere non posse amplius accedere ad monasterium sine licentia necessaria, quandoquidem obnoxius extat prohibitioni ac pœnis statutis contra regulares non secus ac alii regulares. Declarat autem Sanctitas sua, quod hæc prohibitio non comprehendit presbyteros sæculares, quodque hi possunt etiam expirato tempore muneris Confessarii extraordinarii accedere, ut antea, ad monasteria; siquidem hac in parte nova Constitutio (*Pastoralis curæ*) nihil innovavit circa presbyteros sæculares'.

Animadvertendum præterea est, in cit. Constitutione confessariis extraordinariis post expletum munus prohiberi quodcumque

commercium intra monasterium, et per consequens etiam commercium epistolarum. Verum vocabulum *Commercium* non actum significat, sed habitum. Quare non auderem condemnare et pœnis comminatis subijcere confessarium extraordinarium regularem, qui post munus completum unam vel ad summum duas epistolas alicui moniali scriberet.

17. Gravitas morum et probitas vitæ exigit 2º. ut clerici abstineant a crapula et ebrietate, idest ab immoderato ciborum usu, seu ab excessu in cibus, et superfluo usu potus, seu ab excessu in potu. Utrumque enim turpe vitium est, et clericali statu indignum quod vitam moresque facile corrumpit. Lex ecclesiastica utrumque vitium vehementer abhorrens, contra clericos transgressores, si admoniti, non abstineant, statuit pœnam suspensionis ab officio, vel etiam beneficio per Superiorem applicandam *c. 14. h. t.* Hæc vero pœna non latæ sed ferendæ sententiæ est. Hoc enim exprimitur per illud *ab officio vel beneficio suspendatur.*

18. Ne Clerici facile incidant in vitium crapulæ et ebrietatis, prohibentur ingredi hospitia cauponaria, idest tabernas, nisi ex necessitate in itinere. Expresse traditur id in *c. 15. h. t. in princ. in can. Oportet Dist. 44. et can. 53. ex Apostolicis.*

19. Animadvertendum insuper est, sacros canones conjungere prohibitionem crapulæ et ebrietatis, cum prohibitione ludorum, et chorearum, quemadmodum legitur in *can. Episcopus Dist. 35. et in can. Presbyteri Dist. 34.* Quare ut secundum caput concludamus, quod de gravitate morum est, et de probitate vitæ clericorum, aliquid de hac prohibitionem dicendum est. Et quoad ludos, clericis interdiciuntur aleæ et taxilli *c. 15. h. t. in et genere* prohibentur ludi, quorum eventus magis a fortuna quam ab industria pendent, præsertim si fiant ex fructibus beneficii et bonorum ecclesiasticorum. Delinquentes pœna excommunicationis ferendæ sententiæ plectuntur, *can. Episcopus Dist. 35.* Nec se tueri possunt clerici prætextu consuetudinis. Consuetudo enim hæc reprobatur ab Innocentio III. in *c. XI. De Excessib. Prælator.* ceu corruptela juris. Non prohibentur autem iisdem Clericis ludi, qui privata in domo, et absque scandalo fiant cum moderatione, et causa recreandi animi. Nam cit. canon *Episcopus* loquitur de Clericis, qui ebrietati et aleis deserviunt, idest ut explicat glossa '*valde serviunt*', scilicet ex professo et habitualiter aleis dant operam.